

Universitätsbibliothek Wuppertal

Theophrasti characteres

Theophrastus

Oxonii, 1909

Vorwort

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-4953](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-4953)

PRAEFATIO

THEOPHRASTI Characterum Ethicorum monobiblion primum apparet in Diogenis altera librorum Theophrasteorum tabula qua supplementa alicuius bibliothecae Alexandrinae contineri satis constat.¹ hos Peripatetici Lyco, Aristo Ceus, Satyrus imitati sunt.² Philodemus Epicureus in libro De Vitiis non solum Aristonis, sed etiam ipsius Theophrasti libellum adhibuisse videtur.³ hoc igitur festivum genus scribendi cum per totam antiquitatem laude floreret, facile intellegitur post Christum natum, ubi omnis vetusta doctrina compendi fieri coepta est, hunc aureum libellum plumbeas epitomatorum manus non effugisse. testis est primus excerptor Oxyrhynchites, cuius minutum fragmentum in papyris nuper repertis exstat,⁴ ultimus renatis litteris Monacensis epitomator, de quo infra dicetur.

Codices nostri deducti sunt non ex integris Theophrasti Characteribus, sed ex exemplo sine dubio depravato et varie mutato. nam exstitit aliquando stolidus quidam scholasticus, qui prooemium sub persona Theo-

¹ v 47 (sub littera H) Ἡθικὸν χαρακτήρις α̃, iterum 48 (sub litt. X) Χαρακτήρις ἠθικὸν.

² Th. Gomperz, *Sitzungsb. d. Wien. Ak.* cxvii 10, p. 9. 17, qui inter hypomnemata Characteras recenset quae Theophrastus tamquam materiam seu progymnasma severioribus scriptis moralibus proluserit.

³ Ihm, *Rhein. Mus.* 51, 315.

⁴ Cf. not. ad capp. xxv 6; xxvi 1.

PRAEFATIO

phrasti ineptum praefigeret et capita ipsa non minus ineptis epilogis clauderet. quae quidem additamenta postquam editorum acumine detecta sunt, neminem iam fallere possunt. sed magna est controversia quatenus huius editoris et interpolatoris audacia grassata sit. neque enim certis ubique argumentis haec fraus potest convinci. nam etsi nonnulla etiam praeter prooemium et epilogos verborum sententiarumque forma abhorrere a Theophrasto clare patet (velut in definitionibus plurimis aliquid reperitur offensionis), tamen ea quae λέξιν tangunt pleraque sunt dubia, praesertim cum genus hoc litterarum magis ad socci hilaritatem quam ad philosophiae gravitatem accedere videatur. porro ipsa Theophrasti aetas de atticae dialecti constantia aliquid remittere coepit, quod non solum vulgares dirae et peregrini scriptores, ut Aristoteles cum discipulis, vel exsules ut Xenophon, sed etiam puri puti Athenienses Menander et Hyperides demonstrant. ergo neque in poëtico vocabulo διφάν x 6 offendo neque verbum Hippocrateum et Xenophonteum ἀδαξᾶσθαι (*se scabere*) Theophrasti Characteribus xix 3 restituere dubito, id quod puris atticis dicendum erat κνήσθαι. cum autem huius editionis sit viros doctos non vi manu ducere quasi pueros, sed ipsorum iudiciis subtilioribusque quaestionibus¹ integram materiam ante oculos ponere, ego non reseui more solito quae mihi vel addita vel depravata esse videbantur, sed infra damnare vel suspectare satis habui. quae olim non sine indicibus ad Byzantinorum aetatem rettuli velut χρηνύναι, nunc etiam antea potuisse vulgaribus scriptoribus in buccam

¹ Quales ipse auspicatus sum in *Quaestionibus Theophrasteis* (Progr. gymn. Berol. n. 64. 1883).

PRAEFATIO

venire concedo.¹ multa eiusmodi, quae ad inferiorem graecitatem spectant et a quarti saeculi elegantia abhor-
rere videntur, diu notata sunt ab interpretibus. addo
τὸ διάφορον (*pecunia*) x 1,² τὸ μέσον adverbialiter x 14,³
ἀπαλλάττειν intransitive viii 11,⁴ παντοποιός (i. q. παντοῖος)
vi 3.⁵

Ergo e graecitate quando haec xxx capita quae no-
strae memoriae tradita sunt prooemio instructa et in eam
formam quae nunc est redacta sint, accurate definiri
non potest. tamen indoles ac consilium et prooemii
et epilogorum initia aevi Byzantini maxime in mentem
referre videntur, i. e. sextum saeculum quo quidem
Iohannes ille Stobaeus anthologium filio destinabat
ἐπὶ τῷ ῥυθμίσει καὶ βελτιῶσαι τῷ παιδὶ τὴν φύσιν.

Nec minus dubium est editor ubi vixerit. quod
autem olim monui, ne nunc quidem paenitet iterare,
eum qui illiberalem hominem vetare diceret ἐλάαν ἡ
φοίνικα τῶν χαμαὶ κειμένων ἀνελέσθαι (x 8) magis Syriae
vel Assyriae quam Atticae situm moresque respexisse.
nam hic quidem palmulas non maturescere constat.⁶
quodsi hunc scriptorem excusant Pausaniae testimonio
qui miraculi instar sacram palmam Aulidensem fructus
sane semimatuos ferre refert (ix 19, 8), primum agitur
apud Theophrastum de fructibus vilibus, non de miracu-
lis, tum vero dicere semimaturas palmulas sua sponte

¹ Eiusdem notae sunt δέννυμι (i. e. δέω Papyri collect.), ζέννυμι
(i. e. ζέω Alex. Aphrod.), σάννυμι (i. e. σάω Dinolochus Siculus),
στανίω (i. e. ἴστημι doricum cf. Ahrens *Dial. dor.* 284); cf. Croenert
Memor. Hercul. 249^b.

² Wendland, *Philolog.* 57, 115.

³ id. l. c.

⁴ Wilhelm, *Zeitschr. f. oesterr. Gymn.* 1894, p. 910.

⁵ Usener, *Rhein. Mus.* 25, 604.

⁶ Theophrastus ipse H. plant. iii 3, 5 (cf. ii 2, 8) ὁ δὲ φοῖνιξ περὶ
μὲν Βαβυλῶνα θαυμαστός, ἐν τῇ Ἑλλάδι δὲ οὐ πεπαίνει. contra vide quae
genera atticus scriptor enumeret Dem. d. cor. 262 σῦκα καὶ βότρυς καὶ
ἐλάας συλλέγων ὥσπερ ὁπαρώνης ἐκ τῶν ἀλλοτρίων χωρίων.

PRAEFATIO

de arboribus cadere ineptum esset, tolli autem humo quasi cuppedias etiam ineptius. ergo interpolatorem tenemus de suae patriae more Theophrastea amplificantem.

Ordinem sententiarum ut ipsorum capitum saepe mirum esse diu viderunt interpretes. sed transpositis ex alio in alium locum paragraphis, id quod ante aliquot lustra maxime philologos delectabat, pauca curari posse mihi persuasum est. cum igitur hebetis illius editoris (sive redactoris quod aiunt) vestigia nusquam non appareant, hic quoque caute agendum esse patet. hoc tamen certum est in altera parte, ubi mutantis atque interpolantis furor paulatim desaeviit, genuinum Theophrasti magis enitescere leporem. quodsi summam facias, heredes patrimonii nos esse factos ex dodrante constabit.

Ex editoris illius interpolato exemplari deducti sunt tres codices: Parisini duo A et B et Vaticanus V. praeter hos, quos duces esse omnes consentiunt, maximum numerum vulgarium codicum et priores editores et Lipsienses¹ examinauerunt et ad recensionem emendationemque adhibuerunt. contra quam opinionem et Cobetus et ego olim in *Quaestionibus Theophrasteis* pugnavi. neque nunc summam de hac re praefari inutile duco, cum nondum debellatum sit. ac plerisque quidem lectionibus, quae isti afferunt, ut sui iuris esse vulgares codices credantur, nihil probari optime exposuit P. Wendland,² quamvis ipse quoque apographa non esse vulgaria illa Lipsiensibus concedere videatur. qui tamen decem exempla maioris momenti selegit, in qui-

¹ *Theophrasti Characteres* herausgeg., erklärt u. übers. v. d. Philologischen Gesellschaft in Leipzig. Leipz. 1897.

² *Philol.* 57 (1898), 107; cf. Landi, *Studi Ital.* viii 91.

PRAEFATIO

bus quid iudicandum esset optime posset perspicere. haec igitur accurate iam discutiam, tantum praefatus a Lipsiensibus vulgaris memoriae patronis tres praeter ABV familias codicum discerni CDE quarum aetas in saecula fere XIV–XVI cadere dicitur.¹ has ego per unum prototypum exemplum deductas censeo in capp. i–xv a B (accito tamen raris locis etiam A), in posterioribus xvi seqq. a V.²

Contra qui prototypum illum codicum CD(E) sui iuris esse nec descriptum ex BV contendunt, fere decem haec exempla ostentant:

(1) *iv 4 ὥστε τὰ γυνὰ αὐτοῦ φαίνεσθαι* prorsus recte A B. nec tamen minus recte C *ὑποφαίνεσθαι*, velut Thucydides v 10, 2 καὶ ὑπὸ τὰς πύλας ἵππων τε πόδες

¹ Monacensem gr. 327 bombycinum ex vulgaribus unum saeculo xiii exaratum asseverant. sed quod Sauppeus in *Quaestionibus Antiphontis* queritur codices graecos saeculorum xiii, xiv, xv parum certis indiciiis distingui, hoc ut olim in epitome Monacensi sic nunc in Monacensi 327 expertus sum. scriptus enim est hic codex a duobus librariis. quorum prior currente sed parum curioso calamo scripsit isque sine dubio s. xiii. at quae manus continuat priorem inde a medio f. 134^r stilo anxio utitur et antiquam scripturam sedulo imitante. simillima manu folia 5 et 12 suppleta sunt quae ex compage soluta intercederant. ergo aliquanto post compactum usuque tritum codicem haec suppleta sunt. eandem hanc manum dicerem atque posterioris partis, nisi qui continuavit alio rubro usus esset atque is qui supplevit. utut est, etiam continuatorem saeculo xiv tribuendum esse veri simile existimo.

² Qui necessitudinem codicum CDE accuratius scrutaturus est, in notis Lipsiensis editionis generatim digestis acquiescere non poterit, cum sua quisque fata habeat. simul corporum rhetoricorum cognatio haud satis explorata subtilius erit persequenda. certum est CD e communi exemplari manasse, sed in margine correcto. cuius vestigia ego in vetustissimo vulgarium codicum Monacensi 327 inveni duo: qui cum xi 7 margini eodem atramento eodemque ductu adscripserit γρ. *μισθοῦσθαι* (emendatum pro interpolato *μικεῖσθαι*) et *προστὰς* (em. pro *πρὸς τὰς*), apertum est librarium haec non ipsum invenisse, sed ex exemplari transcripsisse. de contaminata et recentissima familia E dubito num cum CD eodem prototypo usa sit. immo apographa haec esse iudico codicis B contaminata e ceteris quae ad manum erant subsidiis. sed haec classis E, quia tantum xv priora habet, ad caput disputationis huius non pertinet.

PRAEFATIO

πολλοὶ καὶ ἀνθρώπων ὥς ἐξιόντων ὑποφαίνονται. hoc autem si ex nescio quo deterioris classis codice prototypo (quem isti appellant *y*) fluxisset, etiam ceterae duae familiae secundum istos indidem descriptae D E idem praeberent. at habent *φαίνεσθαι*. ergo coniectura nititur illud ὑπο—, nisi forte C aliquot locis ex ignoto codice (certe non *y*) antiquas aliquas lectiones intercepisse fingis.

(2) *iv 5* καὶ ἐπ' ἄλλῳ μὲν μηδενὶ <μήτε θαναμάζειν> μήτε ἐκπλήττεσθαι. hoc quod Astius supplevit viris doctis fere probatur. cuius vestigium in D et familiae E aliquot codicibus latet, qui μηδενὶ θαναμάζειν μήτε ἐκπλήττεσθαι tradunt. at sic Theophrastus certe loqui non potuit, potuerunt recentiores librarii. praeterea hic quoque θαναμάζειν si aliud esset praeter coniecturam, in omnibus profecto codicibus C D E qui derivati dicuntur ex *y* isto servatum esset.

(3) *v 3* ἐπαινῶν ex ἐτι αἰνῶν A B efficere facillimum erat. hoc in D E apparet, neque tamen in C. ergo ne hic quidem prototypi ullum vestigium.

(4) *v 8* ξένοις δὲ εἰς Βυζάντιον ἐπιστάλματα καὶ Λακωνικὰς κύνας εἰς Κύζικον. verbum quod deest, C post Κύζικον addidit πέμπειν. quod etsi eodem loco invenitur in Monacensi epitome (M), tamen omittitur et in D et in E. atqui M prius colon ξένοις—ἐπιστάλματα, quippe quod corruptum sit, silentio transit rectoque loco verbum πέμπειν supplevit. ut igitur epitome M recto talo stat, ita C claudicat fucataque salute fallit. vitium autem sine dubio in priore membro latet. quod si recte verbum abditum est in fabuloso illo ἐπιστάλματα (ut ἀποστέλλειν ἀγάλματα coniecit Meineke), elucet quam fallax sit ista vulgaris memoriae via.

PRAEFATIO

(5) ix 3 εὐωχοῦ Τίβιε. servi nomen (nisi quod orthographia Τίβιε emendanda est¹) recte sine dubio servavit epitome M. contra B τίμιε, A τιμιώτατε, quod a Iebbio pro vero habitum esse miror. at ut recte Τίβιε ab epitomatore M sive traditum sive coniectum est, in prototypo certe y hoc non fuit. nam et D E ad B sive A sese accommodant, et ipsa familia C in duas partes est discissa, quarum plurimi τίμιε ex B, unus Vaticano-Palatinus 149, qui saeculo xv vel xvi scriptus fertur, in margine habet τίμιε, in textu τιβιε. ergo non hoc, sed illud fuit in commenticio isto prototypo. de M autem postea.

(6) ix 5 τοὺς νιείς <εἰς> τὴν ὑστεραίαν καὶ τὸν παιδαγωγόν vera est lectio, quam mutilatam exhibent codices genuini. nam A τοὺς ὡς εἰς τὴν ὑ. κτλ., B τοὺς εἰς τὴν ὑ. apertum est in archetypo syllabam ΕΙC haplographia omissam, tum quod restabat νί aut plane omisum (B) aut pro compendio σ (ὡς) male explicatum esse. iam vero familiae C codices in duas partes discedunt.² altera habet τοὺς νιείς τὴν ὑστεραίαν εἰς τὸν παιδαγωγόν, altera τοὺς νιείς ἴσως τὴν ὑστεραίαν καὶ τὸν παιδαγωγόν. hoc originem prodit. nam vides coniecturam νιείς indicari voce ἴσως, qua in textum inlata, cetera turbata sunt. quodsi D E cum B faciunt, vides nihil huius virtutis ad prototypum quem opinantur Lipsienses referri posse.

(7) xi 5 καὶ σπεύδοντας δέ που ὁρῶν <περιμεῖναι κελεύσαι>. haud sane capitalis est ingenii sententiam mancam supplere. at quis verba ipsa praestiterit, quis

¹ Hoc Menander nuper inventus docuit, potuit autem etiam etymologia docere. Steph. Byz. Τίβειον τόπος Φρυγίας ἀπὸ Τιβέλου τινὸς (ἑρῶς). ἐκ τούτου καὶ Τιβέλου (sic AV) τοὺς δούλους καλοῦσι.

² Cf. RM in *Quaest. Theophr.* p. 22.

PRAEFATIO

ex tenebris umbram peculiaris memoriae propter hoc supplementum excitaverit!

(8) $\chi\iota\iota\iota$ δ καὶ ἀτραποῦ ἡγήσασθαι (τὴν ὁδὸν καταλιπὼν) εἶτα μὴ δύνασθαι εὗρεῖν οὐ πορεύεται. in supplemento nescio quid elegantiarum odorati sunt, quod ex epitome M sola in Lipsiensem editionem receptum est. at primum non necessaria sunt quae adduntur, cum ἀτραπὸς suapte sponte oppositam ὁδὸς vocem in mentem legentis adducat, praesertim cum proxima omnia plana faciant. tum fefellit multos epitomatoris ratio, qui quamquam omnino in artissimum redegit Theophrastum, tamen est ubi suo arbitrio latius indulgeat. sic ille prooemii verba ἔτι δὲ ὁμιλικῶς πολλαῖς τε καὶ παντοδαπαῖς φύσεσι variat et amplificat in hunc modum: καὶ ποικίλοις τὴν τε φύσιν καὶ γνώμην ἀνθρώποις ὁμιλικῶς. quod ineptum est. nam prooemii auctor φύσεις intellexerat singulorum hominum variam indolem animi, quae ad morum varietatem pertinet. at epitomator cum γνώμην et φύσιν distinxit, sensum perdidit. quare male decepti sunt et priores nonnulli et nuper Edmonds, vir doctissimus,¹ qui quae ludibunda manu M addidit, pro veris acceperunt. sed fac supplementum istud in archetypo fuisse, qui fit ut in A B C D E nullum sit eius vestigium relictum, nisi in familiae C recentibus codicibus Marciano 513, Mutinensi iii B 7, Vaticano-Palatino 149, ubi enuntiatio finita post πορεύεται mire additur καταλιπεῖν, quod relictum esse non sine causa credunt ex pleno supplemento margini alicubi adscripto? ergo aut extrinsecus singularis haec lectio in consentiens corpus codicum transvolavit ex ipso M aut

¹ *Classical Quarterly* ii (1908) 119 sqq., non edoctus ille eis quae de epitomes indole iam in *Quaest. Theophr.* p. 17 monueram.

PRAEFATIO

ex codice simillimo unde M descripta est. utut de hac re postea diiudicabitur, hoc certum est non genuini textus continuum flumen in eiusmodi lectionibus agnoscendum esse, sed coniectantis sive ludentis philologi vana pericula.

(9) *xv 6 καὶ οὐκ ἔχει συγγνώμην οὔτε τῷ ἀπώσαντι αὐτὸν ἀκουσίως [οὔτε τῷ ὄσαντι] οὔτε τῷ ἐμβάντι.* hunc locum nec antiqui librarii nec recentes editores recte ceperunt. homo superbus, si quis invitus in turba eum vel de crepidine¹ depulit (ἀπώσαντι) vel pedem eius pede calcavit (ἐμβάντι), numquam ignoscit. similiter Seneca de benef. vi 9. *numquid est iniquius homine qui eum odit a quo in turba calcatus aut respersus aut quo nollet impulsus est?* at librarii antiqui crepidinum immemores pro ἀπώσαντι coniecturam ὄσαντι in margine protulerunt, quae postea (ut saepe in Theophrasto factum²) corpori verborum ipsi inserta est. editores autem cum neque scriptoris verba nec memoriae condicionem recte perspexissent, aut vanis coniecturis ipsi sana attrectaverunt, aut Byzantini ingeniosi vanissimam coniecturam amplexi sunt qui in Laurentiano 86, 3 pro ἀπώσαντι rescripsit ῥνπώσαντι, nesciens ille post Homerum ῥνποῦν neminem dixisse Graecum nisi nonnullos Byzantinos Gregorii Nazianzeni auctoritate confisos. ergo casu factum est ut Senecae illud *respersus* cum coniectore concinat neque profecto fontium mysticae quaedam necessitudines in rebus

¹ De crepidinibus vel marginibus viarum cf. Friedlaender, *Sitten-gesch. Roms* iii⁶ 144⁴; Mau, *Pompeii* (New York, 1899) ch. 31. vide quam concise nudis praepositionibus ipsae offensiones ante oculos ponantur.

² Et ex AB et ex V eadem haec condicio archetypi clare perspicitur.

PRAEFATIO

tritissimis sunt rimandae. ceterum certum est ne hic quidem y prototypi virtutem apparere.

(10) **xxvi 1** ἡ ἀλιγάρχια <φιλαρχία>. vocabulum prono errore omissum recte supplevit codex Rhedigeranus, unus ut videtur is ex vulgaribus. ergo ut laudandum est hoc acumen philologi Byzantini, ita omnis antiquae originis suspicio procul habenda. ceteri enim vulgares cum Vaticano in omissione consentiunt.

Habes omnia Wendlandi exempla, unde aliquis propriam nec ab ABV pendentem vulgaris classis originem statuere possit. at ea corrunt omnia, ut demonstratum est. praeterea etiam ea considerata quae in *Quaestionibus Theophr.* p. 11 sqq. collegi.

Accedit quod non promiscua est vulgarium codicum memoria inter A et B fluctuans, id quod exspectes, si modo isti fluxissent ex horum prototypo y et inde praestantiam quam credunt hausissent. immo concinunt fere cum solo B nec faciunt cum A nisi raris et singuli quidem singulis locis. nam cum in hac classe virorum doctorum cura appareat undecunque remedia salutis petentium, haud mirum est etiam antiquum codicem A aliquotiens in auxilium vocatum esse. at ipsa origo ex uno fonte B deducenda est. neque enim desunt indicia aberrantium propter compendia librorum. sic ii 4 ἀκούοντος in B (non in A) ἀκτ̃ inso-
lenter breuiatum est. lectum est non solum in E sed etiam in CD (i.e. in horum exemplari communi, descripto illo ex B) ἀκοντος cum compendium semicirculare ov non agnosceretur. idem invenias in altera parte, ubi V exemplo fuit. nam xix 1 initio CD habent ε̃στι δὲ ἡ, quod in V est ε̃ς ἡ, ubi iota superscriptum facile confundi poterat cum compendio δέ.

PRAEFATIO

xvi 7 καθάρ^a/7 (i.e. καθάραι falso accentu) V: καθαριέν
 C D inepte. sed a littera terminationis atramento
 obscurata est in V, ut ἴ i.e. ιεν legi possit. memora-
 bile est illud: xxx ιι φειδωνίω A: φειδομένω V. quid
 vulgares? altera pars familiae C (Marc., Rhedig.)
 φειδωνίω ex B, altera vero (Barb. i 97), consentiens
 haec cum familiae D cod. Casanat. 420 et fam. E
 Casanat. 6¹ φειδομενίω, quod nimirum accita codicis
 V lectione contaminatum est. verum haec minora.
 rem conficit, quod olim attuli neque a Lipsiensibus
 dilutum est, hoc fortissimum contra istam rationem
 argumentum: iii 4 εἰ ποιήσειεν ὁ Ζεὺς ὕδωρ πλεῖον, τὰ
 ἐν τῇ γῇ βελτίω ἔσεσθαι. sic optime A B, quod non
 solum recte, sed etiam concinne dictum esse elucet
 comparativis inter se respondentibus. hoc olim obtinui
 contra Cobetum qui πλεῖον melius abesse contenderat.
 at deerat πλεῖον in B prima manu post ὕδωρ quia hoc
 vocabulum ultimum folii est coeptoque novo folio ut
 fit vocabulum insequens obliviose praeteriit librarius.
 qui tamen cum post laborem confectum exemplum
 suum contra legeret, ut alias notas margini adscripsit,
 ita omissum illud πλεῖον in margine proximo, ita ut
 versuum linea continuaretur, addidit. sed compendiose
 hoc exaratum et legentium digitis obscuratum in inte-
 riore libri margine latuit apographi exemplaris librarium,
 ut ipsum Cobetum conferentem. hinc factum est ut
 vocabulum πλεῖον, quod nemo desiderabat, in plerisque
 codicibus vulgaribus C D E omitteretur.

Ergo firmiter tenendum est quod olim Cobetus
 edixerat: *omne emendandi praesidium et fundamentum
 in capitibus xv prioribus esse in duobus codicibus Pari-*

¹ Wendland, *Philol.* l. c. p. 105.

PRAEFATIO

sinis (A B); in posterioribus capitibus xv crisin pendere totam a codice Vaticano (V): reliquos autem libros ad unum omnes flocci non esse faciendos et criticam rem impedire tantum et quisquiliis nihil pro futuris onerare. hanc autem rationem magnis tormentis subruere conati sunt Lipsienses. ac primum quidem capitum indices proferunt. A B enim quindecim priorum tantum indiculum praeponunt, nullum V. qui tandem factum creditis, inquit, ut CD vulgares codices plenum xxx capitum indicem in fronte gerant, etsi ipsi non omnia capita perscripserunt? neque enim indices librariorum posteriorum curis scribi et suppleri solere, immo ex antiquis codicibus sine iudicio propagari. quod ut saepe factum esse concedo, ita nequitiam semper. immo plus semel indices, aucto codicum ambitu, simul aucti sunt, ut in Vindobonensi Platonis codice W, quem ego nuper studiosius examinavi, indicem per gradus crescentem cum crescente codice quasi oculis deprehendere licet. gravissima autem ex ipsa antiquitate praesto sunt exempla indicum paulatim amplificatorum Hippocratis, Aristotelis, Theophrasti, Plutarchi tabulae vetustae. itaque indicem plenum triginta capitum auctor vulgarium codicum, me iudice, post auctum ipsorum capitum numerum prudenter ita confecit, ut titulos exemplaris B ex V suppleret, unde paulo decurtatam seriem posteriorum capitum descriperat. contra hanc rationem obtendat aliquis (nolo enim difficultates ullo pacto dissimulare) tituli c. 29 φιλοπονρίας lectionem, ubi in V φιλοπονίας perperam traditur. emendatus titulus et in epitome M et in D familia (de Monacensi 327 ipse testor) apparet. at hoc vitium tam absurdum

PRAEFATIO

est, ut homini illi docto et prudenti qui corpus vulgare condidit inter describendum c. 29 ex V facile emendare emendatumque in indicem referre licuerit. quodsi aliis quoque locis, ut apparebit, inter epitomen M et corpus vulgare aliqua certe necessitudo manifesto adgnosenda est, ne hoc quidem propriae dotis tenuae indicium rationis nostrae circulos turbare potest. sane melius rem perspiceremus, nisi extrema pars libri in corpore vulgari omissa esset. quod cur factum sit varias habet causas rationesque explicandi. apparet enim omnes illos librarios, ut iam archetypi et codicum ABV, ita corporis vulgaris CDE, parum intellexisse multa Theophrastea, corrupta non minus quam incorrupta, atque illa quae non intellegebant simplici sed solito modo omisisse. cum autem in posterioribus capitibus multa inessent quae supra intellectum istorum hominum erant, cur ardor describendi eis sensim refrixerit haud difficile est perspectu. sic una pars (E) in xv capp., altera in xxi (M), tertia in xxiii (D), quarta in xxviii (C) se continuerunt. hanc describentium libidinem eo minus admirabimur, quo magis inde ab origine singula capita conexu carent et totum genus scripti magis ad relaxandos quam ad docendos legentium animos idoneum esse videbatur. quid? quod auctor libelli, unde Laurentianus 60, 18 et Angelicanus C 4. 23 (saec. xv) sunt descripti, in decem primis Characteribus acquieverunt, etsi index praefixus exemplar xv habuisse monstrat. et Leidensis 107 (s. xvi), qui plenioris est familiae C, non xxviii, ut ceteri cognati, sed xxiv tantum descripsit.

Etiam intra ipsa capita nonnulli sive omittendo sive variando mirum quantum discrepant. sic Vaticano-

PRAEFATIO

Palatinus 126 (s. xvi) nescio quo pacto capita iv vi xiv ex quindecim capitibus praeteriit, sic Baroccianus 194 (s. xv) taedio affectus nonnulla in compendium coegit. ergo noli mirari ipsum quoque vulgaris corporis conditorem in posterioribus exemplar suum V anxie sequi noluisse. nam cum secum reputaret quid describeret, et capitum numerum¹ et paragraphorum formam suo arbitrio definiit. scilicet alia mente tradita illa xv priora capita describebat, alia supplementa posteriora, quae quasi opus supererogatum addebat. illic fidelius exemplar secutus est, lacunas manifestas ut potuit sarcians, hic desperatis rebus magis breviando quam addendo labore suo perfunctus est.

X
Hoc loco de capitulis ultimi parte in priorem partem delata breviter tractandum est. nimirum in AB eorumque apographis xxx 5-16 capiti xi extremo manifesto errore adnexae sunt. qui error quomodo explicandus videatur diu quaeritur. ac Lipsienses folium archetypi quod vocant x ex ultimo capite translatum credunt in priorem partem. ex hoc integro sed turbato exemplo (x¹) decurtatum illud prototypum manasse quod y appellant. atque hinc diversis fluminibus et AB et CD (E) fluxisse. contra V ex ipso archetypo integro, nondum turbato nec decurtato (x) descriptum esse.

Contra istam opinionem aliud stemma nectendum esse et olim mihi visum est et nunc videtur. placet mihi illum xxx capitum archetypum saeculo decimo etiamtum integrum fuisse, exaratum illum versiculis

¹ Scilicet si consulto ultima capita praetermisit. sed factum esse potest ut vetustius illud corpus vulgare omnia xxx capita complexum casu truncaretur in fine.

PRAEFATIO

xvii fere syllabarum,¹ variarum lectionum apparatu instructum, ambitum duorum fere quaternionum complexum. horum alterum sumo capp. i-xv, alterum xvi-xxx continuisse; priorem quaternionem patrem dico classis A B, alterum codicis V, alium praeter hos primarium fontem esse nego. nam Monacensem quoque epitomen infra sectionis illius aetatem atque ex A B V ortam esse probabile existimo. de qua re disseram, postquam folium illud e xxx^o in xi^{um} caput transvectum quomodo explicandum sit exposuero. quod antea conieci in *Quaest. Theophr.* editorem qui sub antiquitatis finem antiquum Characterum monobiblion in hanc quam tenemus formam redegit prooemiumque addidit, ipsum primo finem excerpenti imposuisse in capite xi, cui magno saltu cetera transiliens ultimum caput adnecteret, deinde consilio mutato quasi novo impetu (c. xii ἡ μὲν οὖν ἀκαίρια), sed sedata paulatim mutandi libidine omissa supplevisse et sic omnibus xxx capitibus absolutis obliviose iterasse illas iam praeceptas paragraphos: hoc ego motus cum eis quae Lipsienses recte contra dixerunt (p. xlii) tum novis etiam meis argumentis non deseram plane, at emendabo. nihil iam consilii inesse puto in duplici ista ultimae partis recensione. concedo casu folium extremum (sive schedam extremi folii) aliquando in c. xi translatum esse: idem tamen nunc nego hunc casum ullo modo coniunctum esse cum archetypi nostri fatis. nam, quod adhuc parum observatum est, discrimina memoriae quae inter A B (c. xi) et V (c. xxx) inveniuntur tanta sunt, ut vix ac ne vix quidem utraque forma ex archetypo uno, qualem e

¹ Cf. c. xxvi 3 iterata ἀμέλει . . . χρῆσασθαι.

PRAEFATIO

ceteris refringere licet, repeti possit. atque huius quidem discrepantiae condicio plane abhorret a ceteris capitibus communibus, quibus Lipsienses ad archetypi sui imaginem instaurandam uti solent. etenim secundum istam opinionem inde a c. xvi-xxviii, ubi praeter V accedat vulgaris corporis C D auxilium, his non solum brevior^{em} sed etiam deteriore^m formam dicunt repraesentari; contra, in communibus lectionibus ultimi capit^{is}, virtus alterius classis A B (C D E) prae V tam saepe apparet, ut ex meliore et pleniori libro haustae eae esse videantur. quare cum Lipsienses suae rationi per universum librum constare maluerunt,¹ in extremo capite recensionem pessum dederunt. haec est totius quaestionis obrussa, unde cogor ad defendendam hanc causam nonnulla praevert^{ere} quae contra dici ab adversariis possint.

Nonne mirum est, inquit, ipsos librarios iterata in eodem codice non detexisse et altero utro loco delevisse? minime vero. nam hoc factum est eis saeculis, ubi mira sane diligentia (an dicam stupiditate) tradita propagare solerent librarii. cuius rei possum unum exemplum proferre gemellum. in Simplicii Physicorum codice E inveniuntur vel duo loci a librario imprudente iterati (E^a), quorum origo ex antiquo aliquo exemplo repetenda est, quod et bonitate et aetate omnes ceteros codices antecessisse videtur.² quomodo autem iterata illa explicantur? suspicor librarios, dum alienos codices bonos ad contra legendum adhibent, interdum folia inde soluta ex compage vel schedas

¹ Immisch tamen in praefatione p. xxxviii dissentire a sociis videtur.

² Simpl. Phys. i (*Comment. in Arist. ed. Ac. Berol.* vol. ix), p. vii.

PRAEFATIO

abscissas per errorem immiscuisse suis plagulis modo descriptis, quae tum a bibliopega compacta ac fideliter a posterioribus scribis simul descripta sunt.

Illud quoque fortasse erunt qui mirentur, quod dixi caesuram post c. xv factam ad duorum illorum quaternionum ruinam referendam esse. mirum enim esse et aequabilitatem divisionis, ut ab utraque parte quina dena capita relictas sint et ut in ipsum capitis xv finem caesura inciderit. at haec minus mira esse concedet, qui recordabitur librariorum tum studuisse in miscellaneis codicibus quibus Characteres traditi sunt, singulos libros ipsorum quaternionum finibus circumscribere. quod clare perspicitur ex descriptione Parisini 1741, de quo mox verba facienda erunt. ergo cum triginta sint archetypi capita in duos quaterniones digesta, quid mirum quod post sectionem singuli quina dena capita habebant? quod autem prioris quaternionis finis in capitis xv exitum incidit, casui fortasse dandum est ut similia in exemplo Veneto Proclianae chrestomathiae accidisse constat.¹ praeterea quis spondet verum capitis exitum nobis servatum esse? nonne extremi capitis nonnulli versus initio alterius quaternionis relictis esse possunt, quos librarius ne mutila daret omisit? neque veri dissimilis haec res mihi propterea videtur, quod hoc caput xv et ambitu brevissimum est omnium quae exstant, et ipsis verbis desiderari nonnulla indicatur. nam si quis novo incursu pergit describere *δεὺς δὲ καί, plura hercle erat additurus quam haec quae nunc extant τοῖς θεοῖς μὴ ἐπέυχεσθαι.*

Consulto per totam hanc disquisitionem epitomes Monacensis 505 (M, saec. xv) memoriam seposui.

¹ Wissowa, *Herm.* 19, 198.

PRAEFATIO

video enim de ea minus certis argumentis decertari posse quam de vulgaris corporis natura. Lipsienses quidem si sequamur, M ex archetypo turbato quidem, sed nondum decurtato et breviato (x¹) deducta est. hinc aiunt factum esse ut nonnullis locis intra communia capita xvi-xxi (tantum enim ex xxx capp. excerptum est) M sola uberiores formas, qualem V retinuit, servaret, hinc etiam plenum xxx capitum indicem praefixum esse. propriam porro laudem esse egregias quasdam epitomes lectiones velut *Τίβιε* (ut de dubiis vel levioribus taceam) et scholia, quorum unum et id quidem genuinum, ut credunt, in nullo alio codice servatum est.

Contra perpetuos hos epitomes M patronos, qui inde a Thierschii aetate eius virtutes praedicare non desierunt, modeste, sed firmiter quae olim monui defendam. demonstravi enim auctorem huius epitomes virum doctum eundemque christianae fidei ac disciplinae studiosum fuisse qui satis libere se gerebat neque verba tradita religiose propagare studebat.¹ quodsi pro *τίμιε* contigit ei ut *Τίβιε* emendaret, haud prodigiosum illud, cum ex scholio illo *δουλικὸν ὄνομα ὡς καὶ Δρόμων καὶ Γέτας καὶ τὰ τοιαῦτα* eruditionis et emendationis fons pateat (Lucianus, Aristophanis scholia), unde huic haud indocto viro non difficilius erat mutata μ littera in u (= β) verum assequi quam Salmasio, qui eadem eruditione usus paulo post emendavit. hic igitur excerptor, B V codicibus vel eorum apographis usus coniunxit priorem posterioremque partem, ut fecit corporis

¹ Cf. supra p. xii. quam licenter tum quoque librarii haec Theophrastea ad suum gustum conformaverint maxime familiae E exempla demonstrant, ubi epilogus moralis extremo c. xv adiungitur (v. ed. Lips. p. 115 n.).

PRAEFATIO

vulgaris conditor, eodemque modo plenum indicem praefixit. at ne hic quidem consilio plane constitit, sed ante metam fessus desiit. hoc tamen concedendum est epitomen M fortasse non ipsum qui excerpserat concinnasse ex B et V partibus, sed ex exemplo pleniore iam antea ex BV accurate descripto quod periit. hoc tamen praefracte negandum est quidquam indicii in epitome M relictum esse, quo ad archetypum x¹ escendere eam cogatur. quod si verum esset, plura ac certiora nobilis originis vestigia in prioribus capp. i-xv reperirentur in M quam intra capp. xvi-xxi, ubi quibusdam sane locis contra corpus vulgare cum V genuinum textum retinuit.¹ quod secus est. nam iv ii lectionem εἰ τι (si modo vera est) poterat coniectura assequi, ac totum enuntiatum tam libere decurtatum est, ut tuto huic loco insistere nequeas. idem cadit in xiv δ λαβών <τι>. incerta est lectio ἐντευξίς xii i, contemnenda denique, ut dixi, τὴν ὁδὸν καταλιπόντα xiii 6. ergone quod x i3 attice ὁλὰς (οὐλὰς A B) scripsit, tanti facies? quod ex Aristophane non minus quam ex lexicis discere poterat. an κέραμον pro δεσμοτήριον (A B) vi 6 arripies? scilicet Cypriorum glossam quam grammatici ad Homeri E 387 explicandam admo- verant, sunt qui nunc ex M Theophrasto obtrudant. di boni, quantas turbas ille epitomator dedit, qui aut fallor aut nulla praesidia recensendi habuit ante oculos nisi quae nos novimus!

Vt de folio in c. xi translato taceam, quod eodem loco invenit M quo B, primum nihil habet haec epitome, quod non homo doctus et attentus ex BV arcessere potuerit. at habet quod nisi inde haurire omnino non

¹ Wendland, l. c. p. 104.

PRAEFATIO

potuerit. scholia enim, quibus eruditio istius hominis gloriatur, cum B faciunt praeter hoc quod singulare dixi de Tibio. sunt autem illa quattuor: (1) τίτνρος (2) οἱ Θούριοι (3) κόρδαξ (4) ἐχίνος, omnia ad capp. v vi adscripta, qua in re mirum est epitomatores ad verbum fere concinere cum eis codicis B scholiis quae clare hodie quoque legi possunt, omittere ea quae illic temporum iniuria obscurata sunt velut quae in primo vocem πίθηκος excipiunt verba. at unum quod in B nunc paene totum infuscatum est post ἔθνος vocabulum τ. . N (sic legi olim) epitome plenum habet: ταραντινικόν. at obsecro quid Thuriis cum Tarentinis? qui sane condendae urbi obtrectarunt victoriamque ab eis reportarunt,¹ numquam tamen Thurios occupaverunt. Stephanus Θούριοι πόλις Ἰταλίας, unde obscurata illa codicis B (quorum initium fuisse iota litteram tremate indicatur, quam duae litterae oblitteratae excipiebant ante ultimam litteram N vel ΔΙ) sic refingo: Ἰ(τα)λλί, i.e. Ἰταλίας. certe ταραντινικόν (quidni ταραντῖνον?) neque ad rem quadrat neque ad spatium vel apices codicis B. quod erunt fortasse qui propriae originis signum interpretentur. ego vero epitomatores vel eius auctorem suspicor B sive apographon eius adhibuisse et ex umbris litterarum residuarum, quarum prima specie T, ultima N fallit, aliquam certe regionis significationem commentum esse. nam Tarentum a Thuriis sane minus abest quam Sicilia, quam scholia deteriora Aristoph. Nub. 332 indicant.² ipsum igitur hoc scholion, quo nostram opinionem refutari credebatur Immisch,³

¹ Strabo vi 264; I. Gr. Antiqu. 548^b; Pappritz, *Thurii* (Lips. 1890), p. 59.

² Θούριον πόλις Σικελίας.

³ Ed. Lips. p. xxxvii*.

PRAEFATIO

certissimum originis indicium secum ferre mihi videtur.

Hoc planum est epitomen M nihil didicisse a vulgaris corporis codicibus, quorum memoriam in capp. xvi–xxi tribus locis superat¹ ut ex ipso V deducta. quod xvi 3 περιδράμη, falsam lectionem codicis V, in παραδράμη mutavit ut C, casu factum est. nam D errorem codicis V fideliter propagavit. illud vero παραδράμη ut facilis ita perversa est coniectura: verum υπερδράμη invenit acumen Pauwii. contra non desunt loci, ubi M in turpiter erratis consentiat cum V velut xx 1 ολον (pro ολος).

Fieri tamen potest ut M epitomen (vel, ut summum concedam, eius exemplar ignotum ex B V concinnatum) homo quidam doctus inspexerit, cuius operam raro in nonnullis codicibus familiae C apparere dixi.² utut de hac re iudicabitur, ego commodum eorum providendum esse ratus, qui denuo hanc controversiam examinaturi sint, epitomes verba cum scholiis in inferiore adnotatione integra et inemendata apposui. proinde videant ipsi lectores quid distent aera lupinis!

Sed ecce terret nos in A B V solis confisos ex inferis citata umbra codicis celeberrimi et vetustissimi Parisini 1741 (saec. x vel xi) qui solus Aristotelis Poeticam servavit.³ post quaterniones duos, qui hanc complectuntur, perierunt quinque quaterniones, in quibus recentior index (s. xiv) Aristotelis quae feruntur Physionomica et De signis, tum Theophrasti Characteras

¹ Ed. Lips. p. xlv.

² Cf. de καταλιπεῖν, p. xii. de τίβις, p. xi.

³ L. Cohn, *Philol.* 49 (1890) 397; H. Omont, praef. ad Ar. Poet. ed. autotyp. Paris 1891 (*La Poétique d'Aristote Photogr. de Lumière*), p. xii.

PRAEFATIO

fuisse refert. atqui Aristotelea exstant eorumque ambitum circa 30 paginas codicis explesse satis certis numeris computari potest. ergo 50 paginas Characteras olim continuisse efficeretur, si codex indicis tempore etiamtum integer fuisset. sed cum idem librarius qui indicem confecit summam foliorum totius codicis 331 (i. e. 33 plus quam hodie insunt) esse indicet, apparet 7 folia (40-33) iam tum lacuna illa funesta hausta fuisse. quodsi detrahas 7 ista folia vel 14 paginas a 50 illis quas dixi, conficiatur Characteras olim in 36 paginis Parisini descriptos fuisse. at 30 capita universa, quae tenemus, non plus quam 24 paginas efficient. ergo ratio non constat, ac suspicio oritur inter Characteras et Dionysium de compos. verb. (i. e. in extremis foliis quaternionum illorum mobilium) etiam aliud scriptum antea intercidis, cuius vestigia in indice non servantur. cum Theophrasti Characteres ne in apographis quidem Aristotelei libri apparuerint, haec spes plane nos fefellit. at suspicor paulo post initium Characterum satis mature ruinam maiorem in illa parte codicis factam esse.


Editorem illum qui dis invitis Characteras ordinavit patet ad mores emendandos et a vitiis et pravitatibus deterrendos maxime spectasse. sed postea non inter ethica fere, sed inter rhetorica hic liber circumlatus est. in A B inter Syriani commentarium Hermogeneum et Anonymi σχήματα λόγου servatur. V porro inter Hermogenem et Aristotelica isagogica (Ammonium, Porphyrium) exhibet.¹ etiam Parisinus 1741 ille, de quo modo dictum est, inter Aristotelis Rhetorica, Poëtica,

¹ M inter Andronici Περὶ παθῶν et tractatum ἐξ ἀρετῶν οἱ βαυμοί (inc. f. 15^v).

PRAEFATIO

Physiognomonica, De signis et Dionysii Rhetorica inseruerat. hinc profectus Immisch¹ ipsius Theophrasti consilium e studiis eius rhetoricis, non ethicis explicare studuit. quod et titulo Diogenis et tota libelli ante Byzantinos historia satis redarguitur.

Omnia libelli fata quae modo tetigi ut uno conspectu recognoscas hanc tibi tabulam habeto:



Ratio edendi ex eis quae exposui necessario consequitur. ergo pauca monebo. in Theophrasteis quae videntur, orthographiam atticam illius aetatis restitui, in pronominis *αὐτοῦ* vel *αὐτοῦ* formis ubi fieri poterat prosodiam reflexivi proetuli, quia librarii aut *ἐαυτοῦ* aut *αὐροῦ* scribere, *αὐτοῦ* ignorare solent.² utrum igitur sit ponendum, nostrum est decernere. cum B non solum in Theophrasteis, sed etiam in ceteris scriptis archetypi vestigia pressius secutus sit quam A,³ in elidendis

¹ *Philol.* 57 (1898) 193.

² xxiv 9 V habet *τῶν ὑφ' αὐτόν*!

³ Cf. Studemund, *Jahrb. f. d. Philol.* 1885, 772.

PRAEFATIO

vocalibus, *v* paragogico, οὔτω vel οὔτως, οὐδέis vel οὐθείis variandis illum sum accurate secutus; itemque V in altera parte. notas criticas ita institui, ut praeter prosodiam et interpunctionem omnem discrepantiam codicum A B V fideliter adscriberem. et hos quidem ipse denuo accurate nec sine fructu contuli adiutus exemplis lucis ope confectis, quae photographi Berthaldi fratres Parisienses et Pompeius Sansaini Romanus comiter intercedentibus H. Omontio et F. Ehrleo, viris humanissimis, in meum usum confecerunt. coniecturas virorum doctorum potissimas commemoravi neque solum eas, quas probavi, sed invitus, consiliis tamen amicorum cedens, in desperatis etiam varias minus probabiles. forsitan haud iniucundum sit etiam philologorum characteras ex coniecturis internoscere.

H. DIELS.

Berolin MCMIX